



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. I. Quid sit obsequi Deo, & verum illius obsequium ex solo ipsius verbo, non ex hominum traditionibus definiendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242



ETHICES CHRISTIANÆ,
Liber secundus.

CAP. I.

Quid sit obsequi Deo, & verum illius obsequium ex solo
ipsius verbo, non ex hominum traditio-
nibus definiendum.



VONIAM omnis vitæ rectè in-
stituendæ norma in Lege Dei,
quæ Decalogus appellatur, com-
prehensa est, ad eam iam nobis est
accedendum. Superiori enim li-
bro de actionum humanarum princi-
piis abundè, quemadmodum existimamus, diximus: hoc
autem, qui sequens est, de earundem actionum
præceptis instituenda nobis est disputatio, quæ
omnia vna illa diuina Lex, quæ per Mo-
sem à Deo tradita fuit, comprehendit. Illius autem v-
nus hic scopus est, vt obsequamur, siue obedia-
mus Deo. Tunc enim optimè atque rectissimè
vitam nostram instituimus, quû Deo paremus.
Ergo quid sit obsequi & parere vero Deo, prius
est nobis explicandum.

Vtatur autem ea ratione, quam præscribit
Aristoteles in quærenda definitione libro 2.
ὑπὲρ τῶν ἀγαθῶν, vt ab vniuersalioribus ad spe-
cialiora descendamus. Ac primùm obsequium
p.iiij.

seu obediētia vi ipsa nominis subiectionē quā-
 dā p̄ se fert eius q̄ obsequitur & paret. Est e-
 nim obedire, parere. Subest enim alteri qui ob-
 sequitur illi. Nā à quo quis superatur, eius est ser-
 uus, inquit Petrus 2. Pet. 2. versu 19. Ioann. I. vers.
 8. & cuius voluntatem facimus, ei obsequimur,
 ait Paulus Roman. 6, versu 16. Ergo obedire, est
 voluntati alterius parere. & Augustinus in libro
 De natur. bon. sic dicit, Obedientiēse seu obsequij
 obiectum, est præceptum, vel expressum, vel ta-
 citum. Et Gr. g. libro virtutum moralium dicit,
 Obedire esse alterius voluntati humiliter sub-
 iici. Hoc autem duobus modis fieri potest, vel
 quatenus aliquo iure astringimur, vt ita paream-
 us, velut superiori & preposito: aut nullo iure,
 sed tantum id spōte facimus, vt amico & equa-
 li. Propriē autem paremus & obsequimur iis
 qui ius præcipiendi habent, & sunt superiores.
 Itaque dicunt duplicem esse causam obediē-
 tiæ huiusmodi præstandæ: excellentiam seu di-
 gnitatem eius cui subdimur: & gubernationem
 curamque illius de nobis. Thom. in 2. 2^a. quæst.
 102. Ergo obsequi, est voluntati superioris pa-
 rere. Quæ res varios gradus habet, pro variis iu-
 risdictionis gradibus. Sic obsequi Deo, qui est
 summus, est parere Deo tāquā omniū supremi
 Magistratus volūtati. Ea autē volūtās quia scri-
 pta est, & dicitur ἐντολὴ, quatenus iussa est & præ-
 cepta fieri, idcirco Christus definit obsequi
 Deo, esse, facere ἐντολὰς Dei. Ioannis 15. vers. 15.
 quod etiam alibi appellat voluntatem facere
 Patris: siue (vt hīc loquimur) τὰ κελεύόμενα ὑπὸ αὐτοῦ.
 Et quia obiectum obediētiæ est præceptum,
 siue

carent peccato, etsi in iis fuit quidam zelus. Saluianus li. 3. De Dei Prouident. Sicut dominorū carnalium seruis eligere omnino non licet, quæ ex præceptis seruilibus faciant, aut quæ non faciant. Sic nos, qui serui Domini nostri sumus, illicitum omnino existimare debemus, vt vel illa quæ placent, pro animi oblectatione sumamus: vel illa quæ displicent, pro superbiæ abusione calcemus, & c.

Altera quæstio est, Vtrum soli Dei voluntati sit parendum. Et hanc quæstionem prætermittunt Scholastici, quia ea torquentur. In quo distinguendum est. Aut enim de vero cultu ipsius Dei quærimus, aut de humanæ huius vitæ societate tuenda, & honestate in ea conseruanda, idque ratione & politix ciuilibus, & Ecclesiasticæ.

Quoties de Dei cultu quæritur, soli Dei voluntati parendum est, eaque sequenda & sola spectanda, vt est Isa. 29. vers. 9. Matth. 15. vers. 9. Deut. 8. v. 1.

2. Ratio, ab alia auctoritate, Vetat Dominus suo verbo quicquam addere aut diminuere. Deuter. 5. vers. 32. 12. vers. 32. Apocal. 22. v. 18. Ergo illud solum est sequendum, vt verè illi obsequamur.

3. Nihil illi addendum, quod est perfectum. At Dei præcepta continēt perfectam iustitiam. Deuter. 6. versu 25. Ergo que nihil illis addendū est, neque detrahendum, Et Lex ipsa appellatur Perfecta. Iac. 2. v. 25.

4. Vetat Dominus se coli nostris iudiciis, sed id suo tantū præcepto fieri vult. Deuter. 12. v. 8. Ergo frustra ad Dei cultum quædam instituerunt

runt homines.

5. Paulus Coloff. 2. damnat ἐδὲλ θρησκείας, quemcunque speciosum humilitatis aut carnis mortificationis prætextum præ se ferant. Ergo frustra Deum hominum mandatis colimus, quoniã id verbo Dei damnatur. De hoc argumẽto agit Paulus in Epist. ad Coloffens.

In ijs autem quæ pertinent ad politiam humanam, & ad honestatem in ea conseruandam, hominum legibus, etsi verbo Dei non sunt expressæ & comprehensæ, parere debemus. Rom. 13. 1. Timoth. 2. si modò Dei mādato illæ non repugnent.

Hic autem præter superiores rationes etiam affertur ratio à comparatis cur Deo parere debeamus. Nos sumus Dei serui: Deus autem est Dóminus, Ergo Dei est iubere pro suo arbitrio. Nos autem solum obsequium manet. Nec enim est serui iubere, sed tantum parere. Malach. 1. v. 6.

Sed obstat quod afferunt Scholastici de humanis traditionibus, quas πᾶσα δόσις ex Gal. 1. v. 19. 2. Thessalon. 3. versu 6. appellant: sæpe ἐν τῷ λόγῳ etiam Scriptura. Matth. 23. v. 8. 7. v. 8.

Iubet Christus eas obseruari. Matth. 23. v. 23. Luc. 11. versu 42. Responsio, Quatenus ad externam, cãmque honestam Ecclesiæ politiam pertinent. Nam etiam vtrunque laudat in Ecclesia Paulus & fidem & ordinem Ecclesiæ. Coloff. 2. v. 5.

Iubent Paulus & Silas seruare: ea quæ sunt scripta ab Apostolis, & à senioribus tradita, Act. 6. versu 4. Resp. ait textus δόγματα: ad doctrinam

autem illa pertinebāt. nam illa sunt. quæ cap. 15. Act. recitantur, quæq. ad decisionem quæstionis tunc motæ pertinebāt. nec tantum politiam ecclesiæ spectabant.

Iubet Paulus ipsæ suas *καθ' ὅσας* seruari. 2. Theff. 3. v. 6. 1. Corinth. 7. v. 17. Resp. Non ut pro Dei cultu habeantur, videanturque necessaria ad salutem: sed ut pro necessaria tantum & honesta disciplina & utili consilio sint, pro loco, pro tempore, pro personis.

Debent autem esse traditiones quæ iubentur obseruari ordinis alicuius ecclesiastici retinendi gratia

Non multa,
Non inanes,
sed vsu & ædificationem
cōtinere Ecclesiæ. 1. Cor. 14. ver. 12. Nō
obscurare

beneficium mortis Christi, ut aqua benedicta Papistarum, quæ vnum genus peccatorum eluit, nempe, Peccata venialia: Imò Christi sanguis omnia, 1. Ioann. 1. v. 9. Et ita de omnibus traditionibus sentiendum: siue eæ

fint { Apostolica,
Synodica,
Priuatim ab aliqua Ecclesia acceptæ.

Quòd neque Dei cultum habent, nec sunt perpetuæ. Est autē Traditio Papistis, humanū præceptum aliquid instituens, in quo verum Dei cultum versari homines volunt, non tantum politix honestatisque publicæ ordinem.